

Incisia ex Ducibus civitatis Alexandriæ complures Lanzavecchias capit, qui tandem carceri mancipantur, quousque Alexandrini Regem Robertum expellunt. Eodem anno Ugo Baucius a Roberto Sicilia Rege Præfectus designatur, cui, dum suppetias ferre Ticinensibus cupit, & hanc causam vellet ordinato agmine vado transire Sturiam flumen, Mediolanensium stipendiarii occurrentes iter impediunt, & magna ibidem mortalium strage facta vincitur a Mediolanensibus, quo in prælio ejus gener, & nepos capiuntur. At Mediolanenses Sturam transientes, & cum ex improvviso apud Alexandriam, & Valentiam quosdam milites obviam habuissent nil tale metuentes, necesse habuerunt cum ipsis dimicare, ex quibus plusquam mille capiuntur. Eodem anno Henricus Imperator Pisis agens, Papienses, Vercellenses, Astenses, Alexandrinos, Valentianos, Casalenses, non nullosque alios ejus regionis nobiles, quos feudatarios appellant, beneficiis omnibus, ac diplomatibus imperialibus privatos declaravit; quod Roberti Regis Siciliae in Italiam adventu se Imperatore (1) posthabito, ejusdem Roberti imperio subdidissent: quo factum est, ut maxima rerum mutatio fieret. (1) Prætor MS.

MCCCXIV. Rex Robertus Templum Divi Francisci civitatis Alexandriæ erigi fecit, & Sanzia (1) ejus uxor Monasterium Divæ Magdalenaë. Hoc eodem tempore floruit Johannes Antonius Boidus a Consiliis Regis Roberti, & Domini Alexandriæ, qui in eadem Ecclesia S. Francisci construi fecit Sacellum, & Turrim campanarum satis amplam, commodam, & excelsam cum inscriptione; quod postea fratres ejusdem Conventus assignaverunt Gomefio Illano Medico Nosocomii Xenodochii Hispanorum, qui illud exornavit, picturisque affabrefactis, ac organo ad laudes, & officia Dei optimi maximi persolvenda illustravit de anno MDLXXIII.

MCCCXV. Cum Robertus Rex quinquennio Dominum egisset civitatis Alexandriæ, tributaque, & alia onera imponeret permulta; ita ut Civitas maxime his oneribus gravaretur, atque hac de causa multa conciliabula fierent, Bonifacius de Alice Guasus, & Paganus Puteus, qui militari cingulo ab ipso Rege donati fuerant, equitesque effecti, Ugoni Baucio Proregi Alexandriæ denuntiant, uti Alexandria discedat, neve populi irati ob maxima onera furorem expectet, alioquin imminere vitæ ejus periculum maximum. Is ingenti molestia, & dolore ob rei novitatem percussus Alexandriam graviter ferens, & gemens deseruit, Astamque Coloniā se contulit. Alexandrini vero quod viderent bellis civilibus se implicitos, factionesque in dies maximo cum totius Civitatis detrimento pullulare, nec aliquo modo restingui, sedarique posse, Mathæum Vicecomitem in Civitatem advocant, Civitatemque in potestate ejus, & tutela permittunt, Bergolio excepto. Interim Alexandrini Viarissum obsident per duos perpetuos menses omni obsidionum genere; tandem cuniculis oppidum diruitur, & ingenti strage facta capitur: multi præterea comprehenduntur, ac in vinculis Alexandriam ducuntur, Precivalio Panterio, & Alberto Castellano castri Præfectis interfectis.

MCCCXVI. Indignatus Ugo Baucius Præfectus supradictis cum militibus quinquecentum, arciferis ducentum ex stipendiariis Astensibus oppidum Quadringenti, Solerii, Boschi, & Castellatii vi occupat; oppidum etiam Fabinarum expugnat, & funditus subvertit; Oviliās per fraudem intercipit. Gens Puteorum, & Trottorum patriam voluntarie relinquunt. Hæc, ubi Mathæo Vicecomiti renuntiantur, mille expeditos milites Alexandriam misit, & Marcum suum filium cum reliquo exercitu cum mandatis, ut det operam, ut quamprimum Boschum Municipium, & Castellatium omni opere recuperet. Quod feliciter successit, captivosque de gente Puteorum secum ad numerum vigintiduorum, & ex eorum fautoribus plus quam centum, qui arma ferre poterant, victos conduxit, quos mox Mediolanum duci jussit; municipia prædicta succursa sunt una cum Oviliis. Eodem anno Astenses, qui Regis Roberti factionem tutabantur, Alexandrinis extorribus ducibus incurfione facta prope portas Civitatis progressi multos ceperunt ad numerum quinquaginta, & duodecim trucidaverunt; quod cum resciret Civitas, tumultuaria militum manu coacta adversus eosdem occurrunt, sed re infeliciter gesta, quindecim viri gentis Merulanorum, & Lanzavecchiarum fortiter pro patria occumbunt.

MCCCXVII. Tanarus adeo inundavit, ut multa damna, & privatim, & publice Alexandrinis intulerit, eosdemque male affecerit; resque ad prodigium usque versa fuerit.

MCCCXIX. Marcus Vicecomes Mathæi filius improvviso in Astensem Civitatem excurrit, sed paucis illato incommodo Gamalerium se convertit, illudque cepit; mox Genuam cum Genuensibus exulibus obsidet. Interim Ugo Baucius Bergolium civitatis Alexandriæ ingreditur, ad id consensum præbente Bonifacio de Alice Guasco; sed cum quinto die decembris Marco Baucius occurrisset, qui tunc Alexandriam (1) moderabatur, manusque conseruissent, Baucius viginti vulneribus confossus interiit, cujus cadaver Astam Coloniā delatum honorifice in Ecclesia fratrum Minorum S. Francisci in Capella magna in parte sinistra ejusdem splendide humatur.

(1) Alexandria MS.

MCCCXXI. Nuntio ad Regem Robertum de Ugonis Baucii morte perlato, ne inde aliquod pateretur incommodum, Raimondum Cardonam viris bellicis artibus peritum in demortui locum suffecit, Astamque magnis itineribus ire jubet. Interea Marcus Vicecomes, ne occasionem rei bene gerendæ amitteret, die decimotertio mensis maii Quadringentum magna adhibita vi occupat, mox Solerium, & Novas, illaque diripit. Ceterum Raimondus, qui celeri cursu Astam contenderat, veritus ne in dies progressus Marci feliciores efficerentur, Valentiam subsidio milites quinquecentum misit; qui cum Valentiam peterent, in itinere Montem-Castellam, vicum, qui sub potestate Alexandrinorum erat, invadunt, magnaue præda inde ablata, nullo habito sexus, nec ætatis discrimine, magnam vim utriusque sexus, & omnis ætatis abducunt, dein ut malorum finis fieret nullus, igne vicum succendunt: tandem die duodecimo mensis junii Valep-